Quelle: https://manuscripta.at/?ID=928
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



64

manu et erauduit me Domine libera aiam meam a labijs
iniquis et a lingua dolosa Sequentia s̄ cōm̄ s̄ Matheum
In illo tempore dixit dominus et turbis iudeorum parabolam
hanc Homo erat paterfamilias qui plantauit vi
neam et sepem circumdedit ei: et fodit in ea torcu
lar: et edificauit turrim et locauit eam agri
colis: et peregre profectus est Cum autem tempus fructuum
appropinquasset: misit seruos suos ad agricolas.
vt acciperent fructus eius Et agricole apprehensis
seruis eius: alium ceciderunt alium occiderunt.
alium uero lapidauerunt Iterum misit alios seruos
plures prioribus: et fecerunt illis similiter Nouissime
autem misit ad eos filium suum dicens Verebuntur
filium meum Agricole autem videntes filium dixerunt
intra se Hic est heres Venite occidamus eum
et habebimus hereditatem eius Et apprehensum eum
eiecerunt extra vineam: et occiderunt Cum ergo
venerit dominus vinee: quid faciet agricolis illis?
Aiunt illi Malos male perdet: et vineam suam lo
cabit alijs agricolis: qui reddunt ei fructum tem
poribus suis Dicit illis ihesus Numquam legistis in
scripturis: lapidem quem reprobauerunt edifican
tes: hic factus est in caput anguli: a domino factum est
istud: et est mirabile in oculis nostris Ideo dico vobis
quia auferetur a vobis regnum dei: et dabitur gente
facienti fructus eius Et qui ceciderit super lapidem
istum confringetur: super quem uero ceciderit conteret
eum Et cum audissent principes sacerdotum
et pharisei parabolas eius: cognouerunt quod
de ipsis diceret Et querentes eum tenere timu
erunt turbas: quia sicut prophetam eum habebant